

Regula gerade durch dieses herrliche Summarium doctrinae erst vollkommen abgerundet und vollständig erscheint.

Die Fragen nach dem inneren Zusammenhang und nach dem Zweck des 4. Capitels der Regel des h. B. glauben wir im Vorstehenden gelöst zu haben. Gewiss wird aber der verehrte Leser aus dieser Arbeit auch noch entnommen haben, dass jene Regula ein sehr dankbares Feld ist für jeden, der es bebauen will.

**Notae chronologicae de Benedictinorum monasterio
S. Maria di Praglia, suppresso pridie Nonas
Iunias 1868.**

Scripsit Romualdus Scarella.

Positum inter colles Euganeos sub Are monte perpulchrum et permagnum eminet monasterium, quod dicitur S. Maria di Praglia, et congregationis Benedictino-Casinensis subiectum est ditioni. Cuius monasterii situs amoenissimus, a Patavio septem, a Vicentia quatuordecim, a balneis Aponensibus tribus abest milliariis. Aedificium exurgit in aditu vallis, ad meridiem Tramonte colle, occidentis ex parte Are monte interclusae, utroque altero tractu magna patente planitie, collibus disiectis Monte-Rosso et Monte-Ortone interrupta. Quisquis ad eum locum, ipsa monachorum vita solitaria sacratum, adpropinquat et in valle collibus interiecta progreditur, in parte septentrionali muris aedificii vetustate infuscatis, alte prominente aede sacra et propugnaculi instar in scopulo saxis abruptis cooperto exaedificata, venerabundo impletur animi affectu. Quocunque animum vertas, mira sollennisque omnium imago et gravitas offunditur oculis; deinde pars aedis sacrae interior et monasterii ornamenta architectonica, pictorum sculptorumque operum pretiositas, cavaedia longe lateque patentia, xystorum arcuatorum pulchritudo, scalae illius maioris magnificentia, venustissima fororum, atriorum, exedrarum, conclavium et cubiculorum series, amoena conspectu collium pratorumque varietas devotione quadam et admiratione animum suaviter perstringunt.

Conditum est anno 1080 a Maltraverso de Maltraversi eiusque fratribus, comitibus de Montebello. Quod ut fini a fundatoribus destinato responderet, aedificandis aedibus praefuit

monachus monasterii celeberrimi Policonensis, quod fuit in regione Mantuana. Annorum quadraginta duorum spatio ad finem perducta est aedificatio, et aedibus ipsis latinum est inditum nomen Pratalea, italice dictum Praglia. Nomen ortum duxisse videtur a pratis circumiacentibus, quamvis traxisse originem etiam potuerit a castello antea ibidem posito, cui nomen erat Berengario, quod vulgi sermone in Bertiagliario et Belengerio conversum est.

In aedibus exaedificatis sacerdotes aliquot Benedictini sedem habuerunt, quorum primus abbas Iselberto di Tadi nominatus est.

Fundatores monasterium hoc amplis et copiosis redditibus donaverunt. Dederunt ei latifundia Brusegana, Selva minore et Selva maggiore, Tramonte citerius et ulterius cum comitatibus, terris, clientelis, ipsius ditioni subiectis, sicut et latifundia, quae erant in locis Abano, Monte-Ortone, Monte-Rosso, Mentecchia, Baccone, Sant' Eusebio et Faco. Anno 1123 Iselberto di Tadi confirmatus est abbas, qui fundatoribus proposuit, ut monasterium sedi apostolicae offerrent seque ad solvendos singulis annis duos numos aureos, scudi dictos, in signum officii a cliente praestandi obligarent. Cardinalis Bernhardus, episcopus Parmensis, delegatus a papa pro ea Italiae parte, de pio fundatorum et abbatis proposito Calixtum II. illo tempore papam certiore fecit. Papa conditionem propositam clementer accepit, de qua literas pontificales exaravit, datas ex Laterano calendis Maii 1123, quibus monasterii bona monachosque in singularem suam fidem et tutelam pontificiam recepit. Quum praeterea in animo haberet, coenobitarum novi monasterii virtutes atque disciplinam augere, anno proximo 1124 id Benedictinorum monasterio Policonensi subiecit statuitque, ut ex hoc et professi et abbas sumerentur; hinc monasterio Policonensi quatuor ducatos aureos tamquam tributarios quotannis palatio Lateranensi solvendos imposuit. Quum vero papa fieri posse censeret, ut ab ordinario Paduano monasterium Policonense impediretur, quominus data sibi iurisdictionis fungeretur potestate; episcopo Patavino curavit significari, ut ab omni iure in conventum Pratulanum (Prataleensem) desisteret. Episcopus, obsequens papae mandato, una cum clero suo III. Nonas Iulias 1124. de omni suo jure decessit, id solum sibi reservans, ut suum esset, chrisma et sanctum oleum subministrare, abbatum consecrationem et ordinationem exsequi atque id agere, ut mo-

nachi capitulis generalibus adessent. Talis erat rerum status, nulla mutatione facta, usque ad annum 1304. Monasterium Praglia permansit abbatiae monasterii Policone annexum et subiectum.

Temporis spatio interiecto, anno 1170, Gerardo da Ponte, episcopus Patavinus, monasterii ecclesiam consecravit sub invocatione Beatissimae Virginis Mariae. Aliam ecclesiam a monasterio non longe remotam S. Blasio consecravit, tempore Martini abbatis erectam populi causa, in valle ad septemtrionem disiunctim habitantis, ecclesia parochiali versus meridiem in declivitate Tramonte collis exstante. Ex quo S. Bellino, episcopus Patavinus, abbati et monasterio Praglia ius parochiale in ecclesiis supradictis concesserat, monachi ipsi curam animarum usque ad medium seculum duodevicesimum administrabant, quo tempore respublica Venetiana legem promulgavit, ex qua ius parochiale extra monasterii muros exercere regularibus non licuit, patronatus tamen permansit, sicut et ius parochum eligendi, nihilominus tamen ab episcopo confirmandi. Monasterio Praglia mansit ius parochi Tramontani aequae ac alterius parochi eligendi; ad quorum sustentationem monasterium centum ducatos solvere debuisse videtur, ruricolis ad capellanum ecclesiae filiae S. Blasii sustentandum obligatis. Ad extensas possessiones facilius administrandas et ad necessaria crebraque apud magistratus civiles et ecclesiasticos negotia obeunda monasterio necessitas incubuit Patavii proprium sibi procurandi hospitium, quod neque a curia neque ab episcopi palatio longe abesset. Quem ad finem areas et domos sibi acquisivit, quae erant inter locum, Piazza dell' Erbe dictum, et inter cathedralem ecclesiam. Aliud ibi huic simile aedificium monasterii ad recipiendos monachos itinera facientes destinatum erat, ibidemque procurator perpetuus, nomine rectoris constitutus. Tempore papae Innocentii III. abbas quartus in ambitu eius deversorii ecclesiam construendam curavit, quae hodie non amplius exstat. Turrim primam monasterii Praglia Maurus I. abbas aedificavit; quo cum ceteris monachis Policonensibus ad suum monasterium administrandum inde avocato, abbatia Praglia vacavit. Tum ille monachis Pratalensibus concessit, ut in capitulum congregati ipsi sibi caput eligerent. Itaque quarto Nonas Maias anno 1304. die Christi in coelum ascensionis fratrem suum

Benvenuto elegerunt, qui accepta electione postridie praesenti abbati Policonensi fidei iusiurandum praestitit.

Illo tempore Pagano episcopus Patavinus nihil non intentatum reliquit, ut monasterium Praglia sibi vindicaret, et a papa Benedicto XI. literas subdole acquireret, quibus in hoc audaci consilio adjuvaretur. Ast trium annorum collectationibus hac de re indessesse transactis, abbas monasterii XI. calendas Junias 1307 Fridericum Ponzoni, Patavii urbis praefectum precibus adorsus efflagitavit, ut is monasterium in fidem reciperet et contra episcopi illius insolentiam tueretur. Quem in finem convocato nobilium concilio, ex numero 387 convocatorum datis 294 suffragiis praefecto senatuique facta est potestas conservandae abbatis et monasterii prosperitatis. Quod ut perficeretur, ex singulis quatuor partibus urbis bini rerum periti addito notario electi sunt, qui una cum monasterii defensoribus eo rem deduxerunt, ut episcopus dioecesanus de vindiciis suis decederet et tranquillitas prosperitasque congregationis Pratalensis restauraretur. Ea occasione monasterium nova Patavinorum benevolentiae accepit documenta, emisso pleni concilii decreto, ut quivis coenobita, in congregationem Pragliensem ascitus, civitate donaretur.

Fridericus II. imperator monasterium hoc jam tunc valde celebratum amplo jure feudali sollenniter ornavit, literis IV. Calendas Apriles anno 1232 datis abbati Prataleensi comitatibus Tramonte, S. Eusebio et Tencarolla per investituram permissis. In quorum ultimo castellum erat arcis instar emunitum, postea ab Ezzelino dirutum. Ibi monachi jure suo feudali perfungebantur, convenientibus ad homagium praestandum apud dominum abbatem introductis; quo tempore vexillo proposito feudatarii praesentia indicabatur. Haec observantiae ratio duravit usque ad tempus seculi elapsi medium, quo potestates Venetianae illius dominatus honorem sibi vindicarunt.

Monachi illius temporis Friderici II. imperatoris favorem et munificentiam grata memoria venerabantur, ad quam perpetuo conservandam eius imago, a Palma iuniore picta, in sacrarii ostio defixa erat, quae ad nostram usque aetatem bene conservata exstat cum inscriptione : „Fridericus II. huius monasterii magnificus benefactor et multorum privilegiorum largitor.“

Usque ad annum 1389, licet monasterium suo sibi arbitrio eligendis abbatibus ab arbitrio et ditone praesulis Policonensis ex

parte saltem liberatum esset, omnes tamen monachi vota sollemnia ad S. Benedictum emittebant, et inde demum in Prataleense domicilium se conferebant.

Quum vero illa aetate religiosae vitae disciplina lapsa et numerus monachorum ita imminutus esset, ut instituti muneribus atque officiis satisfieri non posset: abbas don Quilielmus impetravit obtinuitque ab abbate ad S. Benedictum literas XVI. Calendas Septembres anni supra dicti datas, quibus potestas sibi facta est recipiendi novitios excipiendique eorundem professionem. Quo facto tandem monasterium incepit sui iuris esse et communitas regularis ab altero seiuncta. Eadem aetate monasterium Praglia a sancta sede apostolica ad commendam evectum, annoque 1397 primum cardinali Francisco Zabarella, postea vero et aliis viris conspicuis traditum est, adiuncto annuo salario 400 ducatorum, anno 1424 a papa Martino V. solum ad 200 ducatos reducto.

Neque vero commendata lapsa disciplinae monasticae spiritum ullo modo potuit revocare; imo moribus nimium relaxatis remedium ipso malo peius exstitit. Iam vero anno 1408 papae Gregorio XII. et commandatario ad S. Iustinam Ludovico Barbo, patricio Veneto contigit, ut ejus monasterii coenobitas denuo ad honorem et dignitatem reduceret. Barbo ille, canonicus antea monasterii ad S. Georgium d'Aliga in lacunis Venetiarum siti, quum electus esset abbas monasterii ad S. Iustinam Patavii, iura commendae dimisit, redditisque communitati suae bonis initiis posuit celebris congregationis Benedictinae, quae postea Casinensis nominata est. Barbo cum indignatione observavit, commendatarios illos neglectis disciplinae conservandae officiis nonnisi suis ipsorum commodis esse intentos, cognatisque suis ditandis providere, atque in omnibus tantam prae se ferre confidentiam, acsi summa sibi rerum potestas facta esset, ad libidinem cuncta exsequendi. Itaque restaurandam ac prorsus renovandam decrevit disciplinam monasticam, cui primus omnium, ut suis esset exemplo, se subiecit. Quae regula regenerata seu collectio constitutionum, primum in monasterio ad S. Iustinam observatarum, insecuta mox approbatione pontificia, ab aliis quoque monasteriis prompte recepta est atque in unum collecta novum corpus regularum constituit. Anno 1424 in monasterio S. Benedicti Mantuano secundum sanctionem a Barbo propositam capitulum generale

primum conciliatum est, ubi auctore Don Cipriano Rinaldini d'Este, abbate electo, monasterium Praglia ab Eugenio IV. bulla data 5. Maii 1444 cum congregatione ad S. Iustinam coniunctum est; quae coniunctio decreto pontificio de 17. Maii 1448 a succedente papa Nicolao V, comprobata est, cuius imago a Palma iuniore picta, in perpetuam rei memoriam ad hanc usque diem in sacrarii ostio spectanda est.

Quum in monasteriis regulae illi ad S. Iustinam aggregatis disciplina monastica in dies magis effloresceret, illis sese adiungendi desiderium in aliis etiam monasteriis Benedictinis suscitatum est. atque ipsum antiquissimum ac celebre monasterium Monte Cassino ad ineundam unionem paratum se declaravit, et ex bulla Iulii II. constitutionem accepit; at ille papa voluit, ut in venerationem reliquiarum S. Benedicti congregatio non amplius S. Iustinae, sed Cassinensis appellaretur. Hoc loco in gloriam monasterii Praglia commemorandum est, a nuperrima adunatione fuisse primum congregationis praesidem Don Giovanni Corner, patricium Venetum, alumnum professum ac postmodum primum monasterii ad S. Mariam di Praglia abbatem anno 1505. Triginta octo abbates monasterio huic praefuerunt usque ad tempus illud faustissimum, quo disciplina monastica et conventus religiosus Prataleensis novo splendore enituit, ubi natura et ars coniunctim videbantur adaptasse locum vitae monasticae opportunum; et profecto illud monasterium maiori in dies existimatione atque gloria invaluit.

Anno 1460, quum monasterio praesset Iulianus I., abbas ab inita aggregatione septimus, jactum est fundamentum ampli monasterii in parte orientali, et anno 1490, abbate Ioanne Francisco I. di Buara, Veneto, continuata est novae ecclesiae exaedificatio secundum formas a Tullo delineatas, qui erat filius clari illius architecti Pietro Lombardo. Haec ecclesia, elegans et speciosa, intus exsurgentibus pilis et arcuatis fornicibus ex saxo Histriano, Ionico structurae genere effectis, continens tria spatia media, decem sacella lateralía, universo opere in forma crucis latinae erecto, attollitur in loco edito, ad libellam aequo, in eadem egregia monasterii planitie, in fronte areae amplae ac declivis, ad quam per scalas magnificas aditus patet. Tota aedificii moles innititur firmis pilis et concamerationibus, partim in colle saxoso excavatis, quae transitum subterraneum insolitae amplitudinis efformant.

Anno 1495, quum abbas esset Lorenzo I d'Alessandria della Paglia, magno sumptu alius forus subterraneus constructus est, in montis visceribus cum pilis et fornicibus excavatus, cui superstructum est cavaedium lapidibus arenaceis stratum, in eadem monasterii planitie ad libellam aequum, in medio cisterna posita obelisco architectonico exornata, circumducta porticu arcuata cum columnis ex saxo Histriano. Cavaedium illud, quia cavo spatio superstructum erat, monasterium pensile vocabatur, postea ab episcopo Patavino Don Pietro Barono anno 1495 consecratum; cuius rei memoriam testatur inscriptio tabellae lapideae in sacrarii cellula ad cornu evangelii extans. Ea consecratio hunc in finem peracta esse videtur, ut cavaedium hoc ecclesiae, sacrario et capitulo adiacens, mortuis monachis sepeliendis inserviret; qua occasione etiam tres capituli cryptae consecratae sunt. Virorum rei gnarorum iudicio peropportune atque commode pensili hoc cavaedio aedificii partes inter se coniunguntur; inde enim ecclesia, capitulum, rectoria, cubicula et fabrorum servorumque habitacula, nullis scalis superandis, erant accessu facilia.

Ecclesia monasterii, elapsis a iacto fundamento annis quin quaginta octo, tandem prorsus exaedificata est, abbate Stephano I. da Novara, cui successit anno 1559 Placidus II. da Marostica, abbas ab inita congregatione quinquagesimus tertius, qui chorum arcuatum ecclesiae opere tectorio udis coloribus illitis (fresco) pingendum curavit. Tabula picta in altari principali exhibet Mariae, eius ecclesiae patronae, in coelum assumptionem. In bibliotheca tabulam coeli quadratam abbas in linteo pingi iussit, diversas historiae sacrae res gestas continentem, in quibus praecipue Danielis res mirae spectantium animos retinebant. Abbas ille meritissimus quum optaret, ut pictores illius aetatis praecipui operibus suis ecclesiam illam exornarent, accessit pictorem Giovanni Badile Veronensem, qui imaginem S. Ioannis Baptistae; Paolo Caliarì Veronensem, qui effigiem SS. Primi et Feliciani pinxit; tum pictorem Luca Longhi cum filia, et ille quidem pulcherrimam imaginem Mariae purificationis, haec S. Iustinam pinxit; denique Giacomo Robusti, Tintoretto dictum, qui in linteo S. Mariam Magdalenam adumbravit.

Anno 1572 successit Damianus I. da Novara, abbas ab inita congregatione quinquagesimus quartus, qui monasterium aliis

pretiosis operibus ditavit. Nempe a Palma iuniore in xysto ad sacrarium ducente pingendas opere tectorio curavit imagines praecipuorum monasterii benefactorum, in ecclesia imaginem S. Benedicti. Arcessitus Camillo Bellini, scholae Titianae alumnus, picturam altari S. Laurentii superpositam confecit; Dario Varotari Veronensis effigiem S. Sebastiani martyris, S. Antonii abbatis et S. Stephani protomartyris pinxit; deinde anno 1578, quum esset abbas Celso Guglielmo da Verona, idem Dario Varotari praeclaram effinxit tabulam in sacrario propositam, quae exhibet Beatissimae Virginis Mariae nativitatem.

Anno 1598, quum Iulius I. Mantuanus esset abbas, ab inita congregatione sexagesimus nonus, ad complenda ecclesiae ornamenta pavementum chori et presbyterii ex marmore factum est.

Primis seculi duodevicesimi annis scalae latiores et ampliores erectae sunt duplici serie cum pluteis, aediculis et stauis, et paulo post anno 1727, abbate Alberto IV. Angeli de Venezia, magnum refectorium restauratum est.

Plura hoc loco memoratu digna videntur: tabulae magnae nucuae, ex uno segmento factae, quae mensas exhibent, ligni amplitudine et vetustate pretiosas; parietes obducti ligno nucuae, symbolice persculpto, additis caelaturae eleganti aptis sententiis; picturae insignes equitis Zelotti circumpositae; has inter medias imago Christi cruci affixi, opus tectorium perelegans pictoris Montagna; suggestus concionando destinatus lapideus, marmore musivo exornatus; postes ianuae maximae, et malluvia splendida, marmore pretioso distincta, iaspide et achate interpositis, lineamentis monstrosis decorata; quae omnia sunt admiratu prorsus digna, nisi quod res eas acrius diiudicanti passim maior ornamentorum abundantia quam delincationis accuratio videtur praevalere.

Anno 1741 monasterium auctum et ornatum est ductu et auspiciis Cypriani II. Benaglia Brixienensis; abbas hic ab aggregatione centesimus octavus, praeses congregationis Casinensis, vir ea aetate clarissimus, Brixia anno 1676 familia civili et opulenta oriundus. Ante quam vestem monasticam induit, iuris canonici Patavii fuit professor.

Saepius a sede sancta apostolica, a principibus exteris, a serenissima republica Veneta de rebus maximi momenti consultus, in maxima eruditionis copia et varietate animo singulariter demisso

et modesto sui admirationem concitavit. Insenescens in monasterium Praglia recessit, indefesso semper literarum et virtutis studio deditus. Multa scripsit opera, quorum nonnulla typis edita sunt; alia mansere inedita, nec satis constat, ubi sint aut qua temporum iniuria perierint. Benaglia anno 1741, ut supra dictum est, praeses erat congregationis Casinensis, et quanti ante publice aestimatus fuerit, documento est obtentum a senatu Veneto decretum, quo ab universitate per tres annos abesse continuato salario ei licuit. Honorifice de eo commemorat Mazzuchelli, cardinalis Querini, p. Armellini, Facciolati; et celebrer ille Zeno Apostolo appellat eum decus ac lumen clarissimum non modo religionis Casinensis et scholae Patavinae, sed totius omnino Italiae.

Ea aetate monachi Prataleenses erant primi, qui olivae culturam in provincia Patavina introduxerunt, cuius rei fidem facit monumentum literarium in academia Turinensi asservatum. Erant sane illi monachi semper in id potissimum intenti, ut suarum terrarum statum florentem cum accolarum rebus prosperis coniungerent, atque ita agriculturam et ad suam ipsorum et ad aliorum utilitatem augerent. Inculti campi et infecunda steriliaque montium loca humanis manibus frumento seminando vitibusque plantandis aptabantur, et inprimis silvae tuguriis aedificisque positis industriae colonorum recludebantur. Seculo decimo quarto aedificandi studium in monasterio nostro ita exaggeratum est, ut, ubicunque hodie in silvis S. Benedicti sacellum exstat, loca illa vicis pagisque aedificandis destinarentur, id quod plures delineationes aliaque documenta testantur; ast virium et operarum defectu res passim intermissa est.

Medio seculo priore, tempore nobis propiore, abbate Georgio I. Thiera di Udine, tota superficies collis Monte-Ortone meridionalis, ubi antea silva fuerat, in oliveta, in vineas et hortos commutata est; quod opus, magnis cum impensis coniunctum, anno acerbissimae caritatis annonae peractum est, operarios voluntarios, quotquot offerebantur, conducendo.

At frustra illi monachi ea aetate mori culturam et perutilem bombycum administrationem propagare tentabant; nec enim familiae Veronenses ad colonos deducendos poterant permoveri, qui rusticos indigenas ad laborem iis insuetum assuefacerent. Quippe ea regio fertilissima ad aliarum plantarum, minorem quam

morus curam desiderantium, auctum et cultum invitat; itaque illud industriae genus, a monachis commendatum, quod aliis in regionibus permagnae utilitatis est, parum profecit. Basilius I. Pellegrini anno 1763, abbas centesimus decimus quartus, bibliothecam librorum armariis, ex cerasorum ligno architectonice confectis, adornavit, librorum numerum auxit et denuo in ordinem redegit, in sacrario armaria, parietum tegimenta et scannorum stragula reparanda curavit una cum magnifico altari marmoreo, utilique ac sapienti multis in rebus dispositione bonae disciplinae, elegantiae colendarumque doctrinarum studium manifestavit.

Abbati Pellegrini successit in regendo monasterio Praglia Fridericus Stochini Venetus, praeses congregationis Casinensis, qui quum altera vice in collibus Euganeis abbas esset electus, memoriam sui relicturus capituli exedram restauravit et scannis, armariis parietumque tegimentis ex cerasi ligno confectis exornavit.

Anno 1795 capitulum generale Basilium Terzi Bergamensem elegit, abbatem monasterii Praglia centesimum vicesimum primum. Quum archivum plures per annos minus commode collocatum nec satis bene dispositum in hospicio S. Urbani Patavii asservaretur, ubi rectores temporarii subinde non satis rerum gnari et forsitan etiam minus assidui severam custodiam negligebant: novus abbas illud in custodiam recepit et in monasterium Praglia transferendum curavit, cui asservando amplum atrium cum armariis clausis et eleganter collocatis adaptavit. Monachus Don Benedetto Castori operibus archivi transferendis, ordinandis et in classes describendis destinatus est, qui librorum pro fide atque usu diiudicandorum disciplinam a viro celebri, abbate Campolongo ad S. Iustinam, edoctus, singulari dexteritate et assiduitate eo negotio perfunctus est, simulque plurimorum voluminum in charta pergamena scriptorum summarium et uberrimum indicem instituit. Neque vero diuturnum illum laborem Benedetto Castori ad finem perduxit; sed ille labor continuatus et bene peractus est ab alio monacho, Don Benedetto Fiandrini, Bononiensi, eiusmodi negotii peritissimo, qui iam propecta aetate usque ad mortem eximiae in diiudicando disponendoque sollertiae specimina in privatis et publicis archivis Patavii dederat.

Basilius abbas, quum esset artium liberalium amantissimus, cepit consilium constituendi in una parte aedium a se habitatarum,

quam dicunt pinacothecam. Igitur picturas optimas, nulla loci ratione habita in monasterio et hospitiiis campestribus passim dispersas, sed adspectabiles, omnes ad se pertraxit. Tabula picta a Mantegna, divisa in tres foros graecae formae, desumpta ab altari S. Eusebii Valcansibiensi, erat caput operum huius collectionis; quae tabula cum una Romana aliisque picturis in Caes. Regiam academiam scientiarum artiumque di Brera Mediolanum translata est.

Etiam bibliotheca ab eo abbate aucta et emendata atque in eam conditionem redacta est, ut, si non primum inter alias locum in terra nostra occupavit, antiquorum documentorum copia, tamen par esset cuivis alii utilitate, qua colendis disciplinis inserviebat. Melioravit omnino Terzi monasterium generosis restorationibus; neque ideo solitae largitiones desierunt. Pauperibus operariis ante ianuam adparentibus panis dabatur, egenae familiae sublevabantur, aegrotis medicina providebatur, certo viduarum numero quotannis succurrebatur, quotannis virgines aliquot honeste dotabantur. Scilicet rerum politicarum vicissitudine, quae iam inde ab origine tranquillitatem et vitam societatum religiosarum in discrimen vocabant, abbates aequae ac monachi suscitabantur, ut beneficentiae atque utilitatis suae testimonium publice perhiberent. Itaque optimum factu rati, in suo sinu instituere collegium educandae erudiendaeque iuventutis, ipa docendi ratione ac magistrorum numero et eruditione, qui, omnes monachi, saepe ex longinquo accessiti erant, brevi ad singularem famam atque celebritatem pervenerunt. Comes Tiberio Roberti anno 1797 primus fuit, qui filium suum iis educandum tradidit, et legum Venetarum rigorem superavit, quae non permittebant, ut adolescentuli infra decimum sextum aetatis annum monasterium intrarent. Atque haec monasterio erat occasio adeundi scripto singulari magistratum competentem de collegio instituendo; sed dissoluta mox potestate Veneta et subsequente gubernatione democratica, decretum emanavit, ut monachi studiorum rationem determinarent et instituendi convictus modum summae rerum administrationi submitterent.

Mense Decembri 1797 id docendi educandique consilium submissum et a celeberrimo professore Cesarotti disceptatum est, postea insigni collegii protectore; et sane proposita illa studiorum ratio, nisi rerum politicarum vicissitudines impedimento fuissent, approbata esset. Pedetentim hac nova rerum facie,

allegati rebus sacris disquirendis acclamare videbantur superioribus monasticis de eorum publica educandi docendique utilitate comprobata, quam ob rem monasterium Praglia sibi placebat; nec minus vero sibi placebat nova rerum administratio de incepta iam civilis educationis dispositione atque partitione.

Igitur approbatus est novus studiorum ordo, adiectis parvis mutationibus, novae scholarum conformationi accommodatis, et proclamata studiorum apertura magnum adcurrentium numerum evocavit.

Ast ingruens in pluribus Italiae partibus monasteriorum dissolutio monachis nostris viam aperuit arcessendi idoneos fratres e longinquis regionibus in adiumentum et maiorem splendorem collegii. Et profecto celeriter innotuit eruditio et numerus professorum, eorumque et philosophica et simplex docendi ratio, sumptus modestus in victu cultuque liberali, nobilitas et elegantia in agendo, sedula officiorum observatio, rigor disciplinae cum affabili comitate coniunctus; omnia modo humanissimo ita gerebantur, ut in discendo et docendo et in animi relaxatione monachi et discipuli velut fraterno vinculo coniuncti esse viderentur, nullo facto discrimine inter superiorem et inferiorem, inter magistrum et discipulum, nisi quum necessarium erat. Multi igitur erant hic filios suos educandos collocaturi; sed numerus erat ad viginti restrictus propter aedium constructionem, in hunc scopum destinatarum, ut unus rector sine praefectorum adiumento alumnis velut pater amabilis posset invigilare. Monachi autem etiam in agrestes homines educando beneficii esse voluerunt; ideoque in legendo et in primis scholarum elementis gratis erudiebant aliquot adolescentulos, literis combibendis magis idoneos.

Anno 1800 aperta est schola elementaris publica pro agrestibus locorum circumiacentium, progressu tam perspicuo, ut ratio scribendi legendique secundum novam methodum normam constituerit in scholis provinciae Venetae.

Propter politicas vicissitudines congregatio Cassinensis iam dudum non convocaverat capitulum generale; id quod tempore tranquilliore in monasterio ad S. Iustinam Patavii anno 1803 obtigit. Eo tempore Don Angelo Maria Vecchia, Vicentia oriundus, electus est abbas, et prior Don Benedetto Castori Veronensis, iam lector theologiae sacrorumque canonum, huius familiae

membrum. Valetudinis causa novus abbas post quinque menses a praeside congregationis rogavit et obtinuit facultatem abdicandi. In eius locum vi constitutionum decretoque earumdem abbas ad tempus designatus est Castori, superior monasterii Praglia, titulo administratoris.

Novum capitulum apertum est mense Maio 1805, in quo Benedetto Castori titulo et nomine abbas canonizatus, non vero electus, designatus est, eo quod non compleverat prioratus cursum, lege praescriptum. Is abbas monasterio Praglia et collegio usque ad eius dissolutionem successu singulari praefuit. Praefuit autem monasterio semper prioris administratoris titulo, quamquam tempus constitutionibus determinatum iam decurrerat et quidem opportune intercedente voluntate Suae Sanctitatis Pii VII., qui superioribus congregationis post monasteriorum dissolutionem potestatem dedit declarandi abbatem illum bene meritum Don Benedetto Castori cum titulo: «ad S. Iustinam», quo a monachis per provincias illas dispersis caput agnosceretur et qua talis eorum partes in omni rerum discrimine defendere atque agere posset. — Ita septem seculis elapsis finem habuit venerabilis illa societas, cuius historiam breviter enarravimus.

Nonis Aprilibus 1806 vi decreti Napoleonis I. omnes societatum religiosarum possessiones confiscatae sunt; sed mense Julio eiusdem anni decreto speciali omnes illi fundi agrique in commodum instituti educationis publicae destinati sunt.

Illa vero restitutio nonnisi ad Septembrem proxime sequentem duravit, quo intervallo monasterium victui suo provisit unice ex fundo intra muros iacente, ex redivo stipendiorum a gubernatione suppressis monachis concessorum, et ex collationibus per familias collectis ad sustentandos collegiales. Amplissimum illud collegium sustentatum est usque ad dissolutionem V. Idus Maias insecutam eximia sollertia et prudentia bene meriti Don Benedetto Castori et virtutibus scientiisque religiosorum, qui sicut erant laude publica digni tempore societatis, ita etiam dissoluti; alii honorifico munere erant occupati, alii peculiaribus studiis dediti eruditionis virtutisque suae testimonium ubique exhibuerunt, vivumque concitarunt desiderium, ut summi regiminis munificentia in magnificis monasterii Praglia aedibus denuo publicae atque nobilis educationis institutum exsurgeret.

Divina providentia contigit, ut anno 1825 monasterium Praglia honoraretur praesentia Augustissimae Maiestatis Suae Francisci I., comitante Sua Altitudine Imperiali archiduce Francisco Carolo. Franciscus I. contemplando venustatem et magnificentiam monasterii mira admiratione captus est; editoque decreto illud restitui monachis iussit una cum tertia parte bonorum, quae olim in monasterii possessione fuerant. Apertum est igitur monasterium anno 1834, et duobus annis post successit abbati Castori in monasterio abbas Mutti, qui anno 1840 factus est episcopus Veronensis, et anno 1852 patriarcha Venetus. Abbati Mutti successit abbas Savuto Siculus, qui mansit in munere usque ad annum 1857. Tunc temporis Rdmuss D. Pietro Casaretto iussu papae Pii IX. iam capessiverat congregationis Casinensis reformationem, quae post hac «congregationis Casinensis primitivae observantiae» nomen accepit.

Debetur imprimis indefessae curae Rdssmi abbatis Don Raffaele Testa, hoc tempore viventis in monasterio ad S. Scolasticam di Subiaco, et tunc congregationis Casinensis praesidis, monasterium Praglia adunatum esse cum nova congregatione reformata. Quum anno 1858 capitulum generale congregationis Casinensis haberetur, creatus est abbas Don Attilano Oliveros Hispanus, qui destinatus erat superior monasterii Praglia, ubi eodem anno novitiatus est apertus. Hic loci educatione monastica usus est ille, qui has scripsit adumbrationes historicas. Postremo monasterium hoc, quod structura sua, sine ulla exaggeratione, ponendum dici potest in numero maxime stupendorum Italiae monasteriorum ordinis Benedictini, ubi tot viri scientia et virtute illustres floruerunt, fato inexorabili a suprema Italiae gubernatione oppressum est, quae confiscatis bonis omnibus ipsum monasterium in suam potestatem vindicavit pridie Nonas Iunias 1867. Abhinc monasterium in dies magis dilabitur et hoc tempore — horribile dictu — totum quantum in ruinae faciem conversum reperitur, cuius postremus abbas, supra laudatus Don Attilano Oliveros Hispanus Dailae prope Cittanuova in Histria IX. Calendas Novembres 1879 mortuus est.